

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius Theodor Habersack

Meletma Physicum. De Materia Rerum Prima

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617254>

Druck Freier  Zugang



Ruprecht 1645

Casper Maunius

Theodor Habersack



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729617254/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617254/phys_0002)

DFG

68.

Σὺν Θεῷ
ΜΕΛΕΤΗΜΑ
PHYSICUM,
DE
MATERIA
RERUM PRIMA,

QUOD

DEO Opt: Max: ducente
& docente

Consentiente vero Amplissimae Facultatis
Philosophicae Collegio.

In Celeberrimâ Rosarum Academiâ
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Excellentissimi, Clarissimi atq; Eximij

DN. M. CASPARI MAURITII,

Profess. Publ. Domini Præceptoris & Pro-
motoris sui ætatem colendi.

Publicè συζητήσεως χάρα
Proponit

THEODORUS HABERSACK,
Gryphiswaldo-Pomeranus.

In Acroaterio Majori die 6. Decemb.
horis matutinis.



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILI, Acad. Typogr. Anno 1645.

Σὺν δαιμονὶ ἐθλῶ

ΠΡΟΑΤΑΙΩΝ.

Vam difficile atq; arduum sit Ma-
teriam rerum penetrare primam,
eiusq; Essentiam cognoscere, tum res
ipsa declarat, tum Doctissimorum
Virorum, qui hac de re scripsierunt,
testimonia satis superq; confirmant. Nam ut nunc
alios mittam, zabarella palam *G*ingenuè Confes-
sus est: Nihil esse quod videatur in rebus Na-
turæ obscurius, & Cognitu nihil difficilius
primâ rerum Materiâ. lib. 1. de Mat. prim. cap.
1. Et Scalig in 2. Arist. de Plant. inquit. Mate-
ria ipsi est quidem $\tau\delta\pi\eta\pi\eta\pi\eta$ quo non est Forma:
Sed hoc quiddam, cuius notio propter ob-
scuritatem tam caret designatione, quam-
percipitur intellectione: Qua de causa Mate-
ria penè ~~& devotus~~ toties est à Philosopho dicta, pi-
cta, prædicata, ostentata, decantata, ut rursum
loquar cum Scalig: Ex. 17 Hoc ego considerans *G*il-
lorum virorum, quorum Eruditionem atq; judici-
um plurimi facio, exemplo *G* authoritate ductus,
non adeò detrectandam hanc Disputationem,
propter difficultatem existimavi. Quanquam non

A 2

60

eo animo, quasi me ad plenam veritatis notitiam
pervenisse putans, perfectam ejus declarationem
polliceri possum, quod arrogantiam preje ferret:
Sed ut in re difficillimâ, eam partem, quæ cum mi-
noribus difficultatibus conjuncta esse videatur,
acciens nitar quantum protenuitate ingenij fieri
potest, propè ad veritatem accedere; ac si ipsam non
prorsus attingere detur, saltē ad investigandam
alios excitare queam. Quemadmodum enim
collisione lapidum ignis; Ita ex disceptatio-
nibus elicitur veritas. Ut recte Scalig. Exercit:
308. His præmissis, rei ipsius ierarachia aggredimur.

THESES I.

Duo esse principia rerum Naturalium, luce
meridianâ clarius patet, scil. Materiam & Formam quæ
vocantur Principia constitutiva, quatenus corpus Natu-
rale intrinsecè constituunt, ita ut immaneant Baldini. Di-
sput. Phys. I. Thes. 19. Scharff. Phys. Gen. lib. I. cap. 2. Thom.
Sagittar. Exercit. Phys. II. thes. 4. De Formâ jam agere nostrum
non est propositum. Ergo de Materiâ.

II. Nè verò hic ἀμερόδως procedamus, Onomatologia
Materiæ, eā qua fieri potest brevitate prius erit examinanda.

III. Quæ appellatur illud commune in Physicis, quodq; u-
num & idem est in omnibus corporibus, ceu receptaculum atq;
Subjectum omnium Formarum Physicianum.

IV. Græcis dicitur ὕλη. Verbum usū antiquatum. Plato in
Physicis hoc non usus est, sed Materiam alijs designavit nomi-
nibus.

V. Ocellus Lucanus vocat eam πυρδεχές ήγη ἵνα γεγένοι
Advertendum tamen hic, quod etiam alij ex antiquis, ut Mercur-
tius

rius Trismegistus in Pæmandro, & Timæus Locrus jam ante usi
sint τῷν ὑλην

VI. Ab Aristotele passim vocatur ὑποκείμενον, haud obscu-
re respiciens Ocelli υφιζόμενον σῶμα. Corpus tractabile, quod sub-
iicitur generationibus τῷτο δὲ ἐν τῷ παρδεχέσ καὶ ἐκφεγγεῖον
εὐτῆς τῆς γενέσεως. Hoc certè est, quod in se recipit omnia & ipsius
generationis effigies, seu expressum simulacrum habet.

VII. Hinc & χώρα dicitur Platoni χωρεῖν capere est. Nihil
enim capacius est Materia primâ. ut Scalig. inquit. in i. Theophr. de
C. plant. fol. 83.

VIII. Dicitur & Mater rerum i. Phys. cont. 80. πάντα ἔχουσ
3. Phys. cont. 27. Chaos 12. Metaph. Cont. 9. Vacuum 1. de ort.
Cont. 3.

IX. Ab alijs passim vocatur ἐπερόπης diversum quid habens.
Infinitum, quia est in nullo prædicamento. Divinitatū expers.
DEUS enim est purus actus: Materia vero pura potentia. Ägyptiis,
fax entium & primævitæ. Ens in potentia.

X. Definitur autem ab Aristotele hoc modo lib. 2. περὶ
ἀκράσεως Φυσικῆς cap. 3. Materia est causa, ex qua aliquid sit, eo pa-
do ut insit. Item lib. 4. Metaph. cap. 2. τοιον λέγεται εἶναι μὲν τρό-
πον, εἰς τὸ γένεται τῇ ἐνυπάρχοντι. Materia est principium ex quo
inexistente aliquid sit. Quemadmodum lignum Materia mensa,
scamni, tabulae &c.

XI. Dividitur in primam s. simplicem, & secundam s. com-
positam. De primâ sub judice lis est. De secundâ non est dubium.
De prima nobis erit sermo deinceps.

XII. Ergo non injustè in limine nostræ Disputationis prius
sollicitos nos esse decet de quæstione A N S I T, quam Q U I D S I T.
Hoc enim à nobis summa extorquet necessitas, cum plurimi repe-
riuntur, qui illam dari negant & tanquam pro aris & focis propu-
gnatur maximum illius defensoribus movere solent bellum.

XIII. Quorum Antesignani sunt Ramus i. lib. Phys. Cap. 9:
& Casmannus in Quæst. Marinis quæst. 2. pag. 30. qui materiam
primam purum Pythagoræ Timæi figmentum cerebro Aristotelico
saturni, atq; ob id pro negativâ depugnant, tanquam.

Danaus pro navibus Ajax.

XIV. At dari & esse & quidem necessario in ist hac rerum universitate nemo sane mentis hominum insciabitur. Egid. Rom. 1. Phys. tract. 3. cap. 9. ex Aristotele. Et sane qui Materiam primam negat, *is quoque compositionem Materie & Formae* Zabarelli lib. 1. de Mat. Prim.

XV. Nec statuere Materiam primam est res nociva. Imo facit, ut possimus cum gentili homine efficaciter agere de Resurrectione nostræ carnis, quam ille negabit. Nos vero sic, concessò principio Communi Naturæ arguimus: Ubi dantur omnia ad agendum requisita, dari potest res ipsa. Atq; ad resurrectionem nostræ carnis datur Materia prima & perennans forma. E.

XVI. Tollitur etiam processus in infinitum, à quo natura abhorret. Arist. lib. 1. de gen. An. cap. 1. Nam in Essentialiter subordinatis non potest dari processus in infinitum, sed tandem pervenientum est, ad aliquod primum & ultimum. Magis. lib. 1. cap. 2. *Quemadmodum in numeris, tandem pervenientum est ad unitatem, ceu primum principium numerorum, in magnitudine ad punctum: Sic etiam in Materijs necessario danda est prima ceu primum principium* Schatff. Gen. Phys. lib. 1. cap. 2.

XVII. Sumatur enim Elementum aliquod v. g. Aqua, illud Compositum est ex Materiâ & Formâ quia est corpus Naturale. Ista autem Materia aut erit prima aut secunda. Si prima habeo quod volo; Si secunda dabitur aliqua prior, ex qua illa constat. De hâc rursus querimus an prima, vel secunda? Si secunda possum in infinitum querere; necessario itaq; Subjectum dabitur, quod non sit ex priore, atq; sic Materia prima. Arist. lib. 1. de gen. Anim.

XVIII. Adeoq; ut fiat verborum compendium, dupli modo Materiam Primam reverâ esse statuminabimus. Quo facto adversariorum Argumenta adducemus adductaque examinabimus.

XIX. Materiam Primam esse, ex Universalibus nobis notis, seu hypothesis duabus indubius, quas Aristoteles adfert, ad oculum demonstrari potest

XX. Quarum prima est: *Omnia Naturalia mutantur.* lib. 1. Phys. cap. 6. text. II.

XXI. Hoc

XXI. Hoc principium inductione probatur. Considerentur modo omnia Naturalia secundum quatuor motus species & res erit clara. Terra movetur deorsum Naturali inclinatione projecta in aërem. Cætera moventur sursum, deorsum, alterantur, minuantur, augentur, generantur, corruptuntur.

XXII. Et quia quicquid principiata habent commune, id totum acceptum referunt principiis; Iccirco hujus mutabilitatis radix & origo in principiis merito investigatur.

XXIII. Ea vero est contrarietas. Neq; enim quodvis agit in quodlibet, illudq; mutat; nec quodvis à quolibet patitur aut mutatur nisi per accidens; ut album à dulci: Sed omnis mutatio fit inter contraria; ut ex albo in nigrum, ex dulci in amarum.

XXIV. Quanquam hoc lateat aliquando, eo quod Contrarium non habet nomen, ut qvum Τιγμοσμένον sit ἐξ ἀναρρόεσ & Τιἀνάρροον ἐξ ιημοσμένων. Itemq; corruptitur Τιγμοσμένον ἐις ἀναρρόσιαν, τοι μάτην & τὴν τυχόσιν, ἀλλὰ ἀνηκείμενην.

XXV. Unde emergit secunda hypothesis: Τιἀνάρροα πάντας μίσοι τὰς δέχασ. Mutabilium principia sunt contraria Arist. I. Phys. text. 42.

XXVI. Hac in re consentiunt cum Aristotele vetustiores. Ita Parmenides Principium omnium rerum statuit calidum & frigidum. Democritus solidum & inane. Empedocles item & amicitiam. Anaximenes rarum & densum.

XXVII. Contraria autem appellavit, non contrarietate verâ sed eâ oppositione, quæ est inter habitum & privationem: qvum omnî generatio sit transitus de non esse ad esse, & omnis interitus sit transitus de esse ad non esse necesse est. Zabar lib. I. de Mat. prim. cap. II.

XXVIII. Jam manifestum est, quod contraria non sufficiunt, ad producendum aliquid. Nam quum duplex sit transmutationis modus, Formalis & Effectivus; Contraria per se sola neutrum præstare possunt.

XXIX. Non enim primum: Quomodo enim raritas densitatem informet, quin potius se mutuo perimunt, & ambo tertium

tium aliquod per vices afficiunt, quod vel rarum vel densum, ex hujus, aut illius susceptione denominatur.

XXX. *Nos secundum: Quomodo enim amicitia, ex lice aliquid congregando faciat, & non potius ex iis, quæ lis dissociavit? aut quomodo lis dissolvat amicitiam, & non potius amica, id est, ea quæ amicitia in concordiam redegit.*

XXXI. *Proinde Subiectam contrariis Materia statuendam esse necesse est. Zabarel. lib. 1. de Mat. 1, cap. III, quæ contrariorum vicissitudinem recipiat, & internè constituat id in quod terminatur ipsa mutatio: Quandoquidem contrariorum alterum, nec formaliter mutare alterum, neq; effectivè in sui Naturam traducere potest, unde rerum generatio tolleretur. Non enim densitas fit raritas, sed densum fit rarum.*

XXXII. *Positis his, contraria esse, cum contraria per seipso subsistere nequeant, quomodo quæso, Substantiæ Physicæ, per se subsistentis principia erunt, nisi tertium adjungas subiectum, quod & à seipso habeat, & his largiri possit subsistentiam? Hoc est Materia.*

XXXIII. *Supra jam posita principia probantur inductione. De primo principio res in proposito est, scil. *Omnia mutari*. Secundum quod attinet, hoc etiam inductione probatur. In omnibus enim prædicamentis mutatio non tantum præsupponit idem Subiectum, sed fit quoq; inter contraria seu opposita.*

XXXIV. *Nam sive mutatio fiat secundum quantitatem, qualitatem, relationem, quando, ubi &c. & quidem seu fiat transfiguratione, seu additione, ablatione Compositione, alteratione, perpetuo videmus aliquod Subiectum adesse, in quo fiat mutatio, seu quod mutetur & fiat tantum, tale, ad aliud referatur, sit nunc, aut fuerit heri, sit Romæ, suprà, infra, &c.*

XXXV. *Ex his talis oritur Demonstratio, ex naturâ rei dicta. O. Causa respuit processum in infinitum. Materia est causa. E. respuit processum in infinitum, adeoq; ut resolutio mutacionum non potest fieri in infinitum, ita quoq; resolutio Subiectorum seu materia. Item: Quod mutatur illud non in infinitum mutatur. Omnia generabilia mutantur. E. Nullum generabile in infinitum mutatur. Seu quod idem, deveniendum est ad aliquod pri-*
mum,

mum, ex quo primo existant, quæ generantur, & in quod ultimo
abeant, quæ corrumpuntur. Et hæc est Materia prima.

XXXVI. Ex abundantia, demonstrationem Materiæ primæ
haurimus, ex separabilitate Formæ non quidem Naturæ, Divinæ
tamen potentiae possibili, cum unum non sit alterum, Forma au-
tem separatâ, habeo Materiam omnis Formæ expertem scil. sim-
plicem.

XXXVII. His duobus modis Materiam primam solertissi-
mè probari posse, non dubitamus.

XXXVIII. Vana autem est Avicenne, aliorumq[ue] sententia, pu-
stantium Materiam primam alio medio posse demonstrari à Philosopho.
Zabarell. lib. 1. de Mat. prim, cap. 3.

XXXIX. Nunc contraria Romæorum argumenta, quibus
Materiam primam è rerum Naturâ extirpare contendunt sunt ad-
ducenda, atq[ue] num liberare eam possumus videndum.

XL. Argumenta vero sunt 1. unde actu existens generatur,
illud actu est. Atq[ue] Materia prima actu non est, quia nullibi existit;
E. 2. Materia prima non incurrit in sensus. Quod vero non incur-
rit in sensus illud non est. 3. Ex non substantiâ, non generatur
Substantia. Materia prima est talis. E. 4. Ens rationis non est prin-
cipium. Materia hæc, est Ens rationis E.

XLI. Hæc sunt præcipua Romæorum argumenta, quibus o-
mnem Materiæ necessitatem tollere sibi persuadent: Hæc inquam
sunt quibus Materiam primam purum Aristotelis figmentum esse,
ostendere student: Verum accurationi, mentis judicio si examine-
mus, omnia in fumum abibunt.

XLII. Faciemus ergo periculum & ad 1. Resp. Majorem
esse falsam. Potius enim ex duobus actu entibus existentibus tertium
nullum generatur iper se Arn. epist. Met.

XLIII. Quid actu si existeret Materia compositum esset non
principium.

XLIV. Ad secundum R. Axioma illud (ut ita appellitem)
Quod non incurrat in sensus immediate illud non est ut falsissimum
esse, ita etiam indignum Philosophis, quippe qui norunt, Spiritum
immediatè non incurgere in sensus, attamen nihilominus Spiritum
reverâ aliquid esse. Kecke, syst. Phys. l. 1. Cap. 2.

B

XLV.

XLV. Præterea nec rerum Formæ Substantiales immedia-
tè incurruunt in sensus, quis autem inde inferret eas non esse.

XLVI. Quare si Philosophari hic velint nec ipsum corpus,
generaliter sumptum aliquid erit, siquidem nec illud ita generali-
ter sumptum, in sensus incurrat. Videmus enim tantum hoc vel
illud corporis in dividuo. Keck. syst. Phys. lib. 1. cap. 2.

XLVII. Dicimus tamen Materiam primam sensibilem esse,
licet non actu (quia sensus circa accidentia versantur) potentiam
tamen, quatenus nimirum extra intellectum in Naturâ est, & in ipsis
singularibus. Hipp. prob. 1. pag. 92.

XLVIII. Ad 3. R. ad minorem; Materiam non esse Substan-
tiā completam, sed incompletam.

XLIX. Ad 4. minorem esse falsam: Materia enim est aliquid
extra rationem. Arn. epit. met.

L. Ejusdem farinæ sunt & reliqua argumenta, quæ obijcere
solent. Refutantur autem à Phil. coll. Conemb. lib. 1. Cap. 9. q.
1. Magiri lib. 1. Phys. Hipp. Probl. 11. & aliis.

LI. Jam quid Materia prima in suâ Naturâ & Essentia con-
siderata sit, inquiremus. Hic vero in initio notandum, duas ejus
esse considerationes seu conditiones, docente Themistio in ma-
gnâ suâ digressione in lib. 1. Phys. Unam absolutam, respectivam
alteram.

LII. Absoluta est, quatenus consideratur ut Ens, & hæc est
considerationis Metaphysicæ.

LIII. Dum enim secundum se consideratur, attribuitur ei nega-
tio omnium Formarum, nec non dimensionum & quantitatum, Zaba-
rel. lib. 1. de mat. prim. cap. 13.

LIV. Necesse etiam est, Essentiam Materie esse absolutam, qua-
sit ut hoc modo cognosci etiam à nobis posse Materię: Quisquid enim
est, cognoscibile à nobis est Idem ibidem.

LV. Respectiva est quatenus consideratur ut subjectum
transmutationis primum, scilicet prout corporum Naturalium est Prin-
cipium, & illa est considerationis Physicæ,

LVI. De primâ ejus Notione hoc loco usq; adeo non erimus
solliciti; sed præcipua nostra cura erit alteram, secundam scilicet No-
tionem accuratius penitare.

LVII.

LVII. In quā Materia prima ab Aristotele hoc modo defini-
nitur: ὅλη τὸ ἀρχή ἐστι τὸ ἀρχῶν τοῦ οὐκείμενον ἐκάστῳ ἐξ ἣ γίνεται
τοῦ ἐνυπάρχοντος. μὴ κατὰ συμβεβηκός, εἰ τε Φύσειραι τοῖς τοῦ
ἀρχῆς τοῖς ἔχοντος. Materia prima est Subiectum uniuscuiusque primum,
ex quo quipiam sit, eo pacto ut insit, non per accidens, & si corrum-
patur ad hoc ultimum sancè proficietur. Arist. lib. i. Phys. cap. 9.
text. 12.

LVIII. Singulæ voces singularem requirunt explicationem
1. dicitur *Subiectum*, quia in omni generatione necessario requiritur
Subiectum in quo Formæ & Privatio existant, & in quo fiat *Materia* Arist.
lib. i. Phys. cap. 7. 2. additur *Primum*, ad differentiam secundorum
proximorumq; *Subiectorum*, ut sunt *Elementa*, omnisq; *Materia*
secunda, ex quibus res immediate generantur. 3. *Ex quo fit corpus*
videli: *Naturale*. 4. *Non secundum accidens* quo à privatione Materiæ
prima distinguitur: Est enim & illa quoq; ex Principiis, verum
non ut pars Essentialis, sed ut accidentalis, quatenus nempe Materiæ
excitat ad alias atq; alias Formas appetendas. Magir. In Phys.
lib. i. cap. 2. 5. *Et si corrumpatur in quo resolvitur ultimo*. Illa enim
est primum *Subiectum generationis*, & ultimum *resolutionis*.

LIX. Hoc autem non ita accipiendum, quod in corruptio-
ne semper fiat resolutio usq; ad Materiam primam, quemadmo-
dum Thomista arbitrantur: Etenim contrarium ipsa testatur ex-
perientia. v. g. Cum moritur homo, primum fit corruptio in ca-
daver, deinde in mixtum inorganicum, postea in mixtum imper-
fectum, deinceps in *Elementa*, ad extremum in Materiam primam.

LX. Verum ideo appellatur *ultimum*, quod non liceat ulterius
in Naturæ resolvendo progrexi, quum ad illud fuerit per ventum Tolet.
lib. i. gen. cap. 4. q. 7.

LXI. Tamen Materia prima per se & in se est ἀρχὴ αρχῆς
καὶ ἀγέννητος. Ingenerabilis & incorruptibilis Arist. lib. i. Phys.
Cap. 9. Forma & composita generantur: Hæc vero est simplicissi-
ma, interim est *Subiectum corruptionis & generationis*.

LXII. Et est quidem corruptionis Principe, sed una cum
Forma. Scil. secundum potentiam universalem Materiæ, res cor-
rumpi potest remotè: Verum secundum Potentiam particula-

teria proximè res corrumpuntur. Nam Potentia illa Particularis respicit certam Formam. A Formâ autem contrarietas & Oppositiō est, & consequenter mutationis origo & radix.

LXIII. Si autem generaretur Materia, opus esset Subjecto aliquo primo, ex quo generaretur, quod in eâ ut pars Essentialis & Constituens remaneret.

LXIV. At primum hoc Subjectum est ipsa Materia, ut ex Definitione liquet. Quocirca Materia prima si generatur, antequam generatur, est. Et si interit, post interitum manet: *Quicquid enim generatur, ex primo aliquo Subjecto generatur* Jacob. Mart. Exerc. Met. lib. 2.

LXV. Quare si generatur ex primo aliquo Subjecto generatur, & per consequens ex seipso? *Quod autem ex seipso generatur illud fuit, antequam fuit.* Ergo si ex ipsâ generatur; fuit antequam fuit generata? *Quid vero absurdius posset dici* Jacob. Mart. Exerc. Metaph. lib. 2. Mag. lib. 1. Phys. cap. 2. Adde si Materia Prima generaretur Compositum esset, non vero principium. Generatur enim solum compositum. Scal. Exerc. 101. l. 15. & Exerc. 346. Arist. lib. 1. Phys. cap. 7.

LXVI. Quicquid autem non generatur, neq; etiam corruptitur. Atqui Materia prima non generatur E.

LXVII. Si enim corrumperetur, aut in seipsum aut in nihilum. Non vero in seipsum, alias non esset prima, neq; in nihilum, quia sic non daretur Materia Prima, in quam ultimo omnia possent resolvi.

LXVIII. Obj: *Quod caret ortu & interitu illud est aeternum.* Materia prima ortu & interitu caret. E. est aeterna. Resp. Aristotelem ita ponamus statuisse; Nos tamen merito aliter edocem, ab illo hac in parte discedimus. *Quia αὐτὸν ὅντας φίλοις ὄντος περιπάτων την ἀλήγειαν,* ut jubet ipse Aristot: i. Eth. Nicom. cap. 6. Materiæ enim aeternitas infert mundi aeternitatem Piccol. lib. de Mundo cap. 18. At aeternitatem Mundi statuerant S. litteræ, reclamat unanimis Theologorum sensus & Consensus. Sed distinguendum hic est inter Creationem & generationem, inter corruptionem & annihilationem.

LXIX.

LXIX. Hic verò notandum est, à Neōtericis hodiernis,
aliisq; Autoribus generabile dici dupliciter.

LXX. 1. *Subjective*, quia est Subjectum generationis & corruptionis, hoc modo datur Materia generabilis & corruptibilis id est: Subjectum receptivum Formarum in generatione & corruptione Scharff. Gen. Phys. part. cap. 3.

LXXI. 2. *Terminative seu Objective*, quale est illud quod in generatione acquiritur. Cujusmodi est Forma vel totum compositum. Et sic isto modo Materia est ingenerabilis & incorruptibilis, quoniam ista supponatur in quālibet generatione & remaneat in quālibet corruptione, ut Tartareus loquitur lib. 1. Phys. fol. 17.

LXXII. Rectius ergo Scalig Exerc. 9. inquit: Non est Materia Prima corruptibilis secundum Essentiam, ita ut nullo eventu possit reduci ad nihilum, sed id ipsum tantum in eā est corruptibile, quod fit hoc aliquid per Formam.

LXXIII. Licet ergo Materia prima non sit generata, est tamen à DEO creata, vel potius concreata, id quod placet Zabarell. lib. 2. de Mat. Pri. cap. 2. Licet non corrumperetur aliquando tamen in novissimo videlicet die virtute Divinā annihilabitur.

LXXIV. Cum neq; ex præsupposito aliquo Subjecto fieri (est enim primum Subjectum) nec etiam à semetipsā suum rō ESSE habere potuerit, relinquitur, quod solus DEUS eam creando produxerit. Scharff. lib 1. Phys. cap. 3.

LXX. Dupliciter autem explicare solent Materia termīnum esse creationis.

LXXVI. Primum, ut sit creata separatim ab omni Formā; & sic negatur, quippe cum creatio completa & perfecta terminetur ad Ens perfectum & per se Subsistens Materia ita creari nequit. Quia Ens incompletum.

LXXVII. Deinde intelligitur terminus Creationis, quod scil. simul cum alio completo fuerit creata. Et licet in Gen. cap. 1. legatur וְהָאָרֶץ הַיּוֹתָה תֹּהֵן וּבָהּ. Et terra erat solitudo & inanis. Tamen non ipsa Materia Prima intelligitur, sed indigesta Moles.

LXXVIII. Neq; hic excludit omnis Forma, sed saltem Dispositionis. Unde sunt subtilissima verba, apud nos denati Hugonis Grotij: Materiam primam esse Creatam ante Formam, tamen in Formâ. In Formâ confusionis, ante Formam Dispositionis.

LXXIX. Tertia proprietas Materiæ est, quod dicitur $\ddot{\alpha}\mu\sigma\phi\circ$, Informis. Arist. lib. I. Phys. cap. 7. t. 68. Nam si haberet propriam Formam, aliam Essentialiter non reciperet, quum duas Formæ Essentiales, nequeant in unâ re concurrere.

LXXX. Imo fieret Composita, ceu Elementa, & sic non amplius esset Materia, sed corpus, quatenus jamdum Materia & Formam haberet.

LXXXI. Dicimus ergo quod Materia Prima sit plane $\ddot{\alpha}\mu\sigma\phi\circ$, verum ad omnes Formas recipiendas habili, ut Proteus. Scharff. lib. I. cap. 3. Magar. lib. I. cap. 2. Et in hoc inquit D. Jacob. Mart. in Prælect. Phys. lib. I. cap. 5. Consistit veritas Materiæ, quandoquidem talis Essentialia convenit cum Materia Prima.

LXXXII. Non vero ita, ut tantummodo sit Ens privatum, cuius Essentialia tota in Potentiâ posita sit quemadmodum Thomas I. part. q. 66. art. 1. Cajetanus de Ente & Essentialia, Javella 2. Metaphys. q. 5. & alij: Sed in collatione ad Formas recipiendas nihil est Formarum recipiendarum Arn. epit. Metaph.

LXXXIII. Q. Ergo? Ubinam Materia prima per se subsistat. Respond. nispiam nisi in rebus Naturalibus. Siquidem res singularis non est aut peculiaris substantia à reliquo distincta, sed suâ Naturâ communis in omnibus rebus latens Jacob. Mart. Disp. 3. Coll. Phys. Gener.

LXXXIII. Hoc autem de Formâ Physicâ intelligendum esse volumus. Nam Formam Metaphysicam, quam vocant actum, materia Prima habet: Omne enim Ens unico excepto DEO, ex actu & Potentiâ est compositum.

LXXXV. Adeoque Materia prima revera aliquid est, extra suas

suas causas, siccirco aliquis Actus ipsi erit concedendus: Entitati-
vus nimirum.

LXXXVI. Entitativus vocatur, qui rem ponit extra nihil, ut
Vicomercatus ait lib. 1. de princ. cap. 12. destituto hoc, illa non
esset Subjectum Transmutationis, contrariorumq; principium, ut
recte infert Cæsalpinus lib. 4. q. 2. vid. Arn. in Metaph.

LXXXVII. Hicce actus merito tribuitur Materia Prima lices-
fit imbecillū admodum, quo negaturnibil esse, qui tamen si resertur ad
Formas cogitur in purā esse potentiam. Jacob. Mart. in Metaph.

LXXXVIII. Q. ergo an illa ei sit Essentialis vel Accidenta-
lis? Nos dicimus esse Essentialē, quia propter Materię potentia-
m & Formā actum, per se, unum quoddam constituitur compo-
situm. Et sicuti Formā, essentialē est actus, sic primā Materię esse
potentiam.

LXXXIX. Dicimus ergo cum Averroe Materiam Substantiarī
per posse h. e. ipsam Materię substantiam constitui per poten-
tiam, ac proinde Materię potentia erit ipsa substantia i. e. Essen-
tia Materię.

XC. Verum enim vero, ut recte hoc accipiatur 1. nota-
dum est Materię Considerationem duplēcē esse, Metaphysicam
unam; quum per analogiam tantum dicitur Materię, quemad-
modum genus respectu differentiarum. Alteram Physicam, quae
propriè est Materię. 2. duplēcē Materię potentiam ut docet Zab.
lib. 1. de Mat. prin. cap. 10 Universalem scil. & particularem.

XCI. Particularū s. propinqua dicitur, quae est affecta, ut non
consequatur ipsam Materię Essentialē, sed intercedentibus quibus-
dam dispositionibus extrinsecū Materię adveniat, neq; omnes Formā
ex aequo respiciat, sed ad unam proximē fit determinata, per quam
advenientem etiam perfectō actuatur & impletur. Sic insemine ho-
minis est potentia ad Formā humanā, non ad aliam, sunt e-
nīm in illo conjunctā qualitates, quae Materiam illam magis red-
dunt aptam ad Formā hominis, quam ad aliam Zab. lib. 1.
de Mat. prim. Cap. 10.

XCII. Non vero particularū potentia, sed Universalū Essen-
tialū est Materię primā, non quidem, quatenus Metaphysice seu
ab-

absolutè, sed quatenus Physicè seu Relatè consideratur: Ideoq; accedente Formà, non perit Universalis potentia, sed particula-
ris tantùm.

XCIII. Illa *Universalis potentia* dicitur *appetitus*, de quo loquitur Arist. I. Phys. cap. 8. tent. 81 Zabat. lib. I. de Mat. prin. cap. 10. Ille enim nihil aliud est, quam Naturalis propensio Materiæ ad omnes Formas, indistinctè tamen.

XCIII. Iccirco etiam libera dicitur & indifferens, quippe cum ad nullam Formam sit astricta, sed ex aequo se habeat ad omnes suscipiendas. Arist. lib. I. de An. Zabat. lib. I. de Mat. I. Cap. 10.

XCV. Successivè verò & per vicissitudines in se recipit Formas; Non simul & semel, uno & eodem tempore. Sicuti cera propriam Formam nullam habet, sed est in potentia, modo leonis, modo canis alteriusve animalis cuiusdam Formam s. Figuram in se recipiendi prout artifex ei imprimere vult. Dum autem sub unius dominio est, sub alterius esse nequit.

XCVI. Eodem modo se habet Materia prima, illa in potentia est ad omnes Formas recipiendas indifferens; attamen eas omnes non simul recipit sed successivè, veluti supra, ut priore abjetà, mox alia introducatur.

XCVII. Hinc rectè Arist. I. Phys. cap. 9. text. 81. dicit. *Mate-
ria prima appetit Formas ὡς περ θῆλυαρρένος, καὶ αὐχούρης λάθης;
Uit Fæmina marem, & turpe pulchrum.*

XCVIII. Cum enim unicuique rei ingenitum sit Naturaliter, bonum ut appetatur, quidni etiam Materiæ primæ, siquidem Ens est imperfectum, atque in pura potentia, ut actum perfectionemque exoptet?

XCVIII. Nam cum substantialis Forma ipsius Materiæ si est πελέχεια, ac quoddam bonum, non potest fieri ut sic à Materiæ non appetatur, veluti à turpi pulchrum, ab imperfecto perfectum Magis. lib. I. Phys.

C. Licet Materia prima actu præstantem aliquando obtineat Formam, nisi tamen alias subinde appeteret, nulla esset generatio, nulla corruptio: Materia enim prima cum Formam, quam

quam possidet ab iicit, aliamq; recipit, res dicitur corrupti &
nova generari.

CI. Quapropter ab Aristotele prima Materia dicitur causa
conservationū rerum, quatenus nemp̄ recentes semper appetit. For-
mas receptatq; lib. 2. de Gen. text. 51. Vid. Coniunct. 1. Phys. coll.
9. q. 4. 2. 1.

CII. Hunc appetitum Avicenna 1. suff. cap. 2. & Scalig.
Exerc. 17. & 61. impugnant. Putant enim non dari appetitum,
sine sensu & intellectu. Verum nos 1. R. per instantiam, quod sto-
machus non cognoscat, tamen appetat. 2. Dist. inter appetitum
elicitum & innatum. Materia appetit, non priori sed posteriori
modo, hicce enim non solum in rebus animatis, sed etiam in ina-
nimatis reperitur. 3. Aliam esse cognitionem sensualem, aliam
intellectualē, aliā Naturalem.

CIII. Unde recte Themistius hunc appetitum nibil aliud
esse dicit, quam propensionem & inclinationem Naturalem, quā gra-
via deorsum, levia sursum tendunt, absq; omni deliberatione Jacob.
Mart. in Metaph.

CIV. Quum vero Materia prima sit principium corporis
Naturalis; Quaritur? Num si vel activum vel passivum. Non acti-
vum, quia omnī actio est actus agentū, & quidem secundus, illa
non nisi ab actu primo oritur. Materia autem non est actus sed
potentia.

CV. Imo si Materia esset Principium agendi, sequeretur, quod
omnia corpora haberent eandem vim agendi, quippe cum omnibus
eadem esset Materia. Scharff. Gen. Part. Phys. cap. de Mat. prim.

CVI. Ergo Passivum? Nam proprium Materia prima esse
Aristoteles affirmit 9. Metaph cap. 1. item de Gen. cap. 7 text. 5.
Quamq; sententiam ita probamus: Quod actionem in se recipit,
illud est principium passivum. Atq; Materia prima actionem recipit;
ratio quia à Formā informatur. E.

CVII. Ceterum cum Materia prima corporis Naturalis sit
principium, ideoq; non erit ipsa corpus Naturale. Nam principi-
um rei nou est res ipsa, adeoq; nec substantia completa. Keckern.
Syst. Phys. lib. 1. cap. 2. th. 4.

CVIII. Ex his patet, quid respondendum sit ad illud Arist. quando Materiam primam absolute consideratam 7. Metaph. cap. 3. tali modo describit: λέγω δ' ὅλη ἡ φύσις αὐτὴν μήτε πολὺ, μήτε ταπείνη, μήτε ἄλλο, μηδὲν λέγεται, οὐ ὕποτε τὸ οὖν: Dico autem Materiam quā per se ipsam, neq; quid, neq; quantum, neq; aliud quippiam dicitur, quibus Ens determinatur.

CIX. In hac descriptione dicit Aristoteles, Materiam primam non habere quantitatem, aliasve proprietates, quas habet Substantia, completa nimis.

CX. Quod ipsum sita est, sequitur, quod non sit substantia completa sed incompleta, seu pars duntaxat substantiae, neq; etiam habebit Quantitatem aliave accidentia, quia propriè tantum substantijs competunt completis.

CXI. Quantitatem ipsi cum Averrhoë tribui necessum est, licet non determinatam, tamen indeterminatam, quæ postea à Formâ adveniente determinatur.

CXII. Hæc sententia duplice fulcitur argumento. 1. Quantitas est Affectio Materiæ, eq; coeva, nisi ergo Materiam primam, Materiam esse negaveris eidem etiam Quantitatem non denegabis 2. Si Materia prima non est quanta, nec ipsum compositum erit quantum, & sic neq; divisibile. Quia vero compositum est quantum, erit tale vel à Materia vel à Formâ. Non à Formâ, quia hæc indivisibilis Arist. 6. Metaph. text. 10.

Ergo à Materia.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.
Q An Materia prima sit Universale. Quidam sunt, qui neq; uniyersale, neq; singulare esse volunt; quidam Universale esse contentes sic probant: Quia i, destituitur conditioni-

ditionibus individuantibus , quæ sunt hoc
Aliquid, Hic & Nunc. 2. Quia multis apta na-
ta est inesse , & reverè etiam inest . Verum id
simpliciter asserere velle, nobis profecto non
est integrum. Non quidem negamus For-
mam & Materiam posse reduci ad substan-
tias secundas , veluti aliud est loqui de Ani-
mâ rationali ; quatenus scil. à partibus Ma-
teriæ & ab hâc vel illâ Formâ communem
abstraho conceptum : Verum simpliciter
Materiam primam velle Universale facere,
verum non est. Ratio 1. Universalis com-
munitas est in animâ tantum per mentis ab-
stractionem : Ast Materiæ Primiæ commu-
nitas est in rerum Naturâ extra Animam.
2. Universale ut est genus , non potest idem
esse Numero in alio ; Ast Materia Prima po-
test esse idem numero sub diversis Formis.
Ex quibus satis liquet , quid ad secundum ar-
gumentum sit respondendum. Ad primum
dicimus negando , quasi Materia non sit
^{n̄ d̄e n̄} &c. Distinguendum enim est inter
singulare completum & incompletum , cu-
jusmodi Materiam esse nihil prohibet , imo
necessæ est , cum sit suo modo individua-
tio-
nis Principium. Quod vero probationem.

C 2

atti-

attinet, cum dicitur Materia Primam esse communem, esse ubiq; esse semper: Illud quomodo accipiendum sit, similiter è nostris rationibus haud difficulter colligere licet.

Q. An Materia sit pars quidditatis? Est certè. Confer: Zabarel: lib. i. de constit: Individ: cap. 8. fol. 386. Sim, Portium. d. l. i. de Reb. Natur: cap. ii, pag. 114.

Q. An Materia sit Principium Individualitionis? Resp. Proprie loquendo non est, est enim per se illiminata & confusa. Atqui nullum illuminatum & confusum potest esse causa distinctionis. Vid, Zabarel: d. l. Sim, Port, d. l. cap. 10. pag. 104.

Q. An Materia Prima in creatione habuerit colorem? Resp. Non fuisse subjectum coloris, sed luminis scil intentionalis, à luce primogeniâ recepti, cuius beneficio videri potuit.

Q. Num illud "FIAT" sit Materia Prima? Affirmat hoc Theophrastus Paracelsus. Sic enim inquit in Paramiro admodum miro lib. i. de orig. morborum ex tribus primis Substantiis cap. 2 *Quoniam Materia prima fuit "FIAT" quis ausit illud explicare?* Ac si illud FIAT Materiam rerum neget, & non potius cum rebus ipsis creatam etiam presupponat,

Q. Utrum

Q. Utrum Materia, proprie dicta sit quoq;
in spiritibus & accidentibus? In Spiritibus, acti-
bus simplicissimis, querere Materiæ molem,
est acquirere in pumice aquas, & igne frigus.
Non sunt quanti: non sunt locabiles: Non ha-
bent partem extrapartem. Non moventur.
Sunt abegni. Ergo & auctor. De intelligentiis
res claret: De accidentibus facile obtine-
bimus. Accidentia subsistunt, non
subsistunt, non sicut sed ipsorum. Quid? Cui Materia
Contingit, eidem & Forma; ex quorum conju-
gio & Coalitu corpus confit pure Physicum.
Ergone Accidentia corpora erunt? Ergo
multa corpora (nam multa accidentia uni
insunt Corpori) uni corpori inerunt? ~~etiam~~.
Relinquitur ergo solis corporeis substantiis
materiam, proprie dictam inesse, abesse vero
ab Accidentibus & Spiritus.

Q. Num omne id quod habeat Materia,
habeat quoq; Formam. **A.** Ratio & fundamen-
tum dependet ex Essentiali, ac proinde planè
necessariâ Materiæ & Formæ Connexione.
Materia enim & Forma, necessario sunt inter
se connexæ, ita ut una, sine alterâ non possit
esse v. g. Materia vini seu Aquæ, non potest
esse sine Formâ vini vel Aquæ. E. ubi est Ma-
teria, ibi etiam necessariò est Forma.

C 3

Q. Au

Q. *An Essentia Materia mutetur in Resurrectione.* Rationem dubitandi suppeditat augmentatio & alteratio Physica, Ibi enim nova Materia apponitur, hic antiqua absumitur, & nihilominus Subjectum manet numero unum. Sed respondetur longè alia est ratio Resurrectionis, & alia accretionis alterationisq; Physicæ. Hic enim i. omnis Materia abit, cum prima in totum remaneat. Materia vero secunda duntaxat aliqua ex parte fluit tota non absumitur. Distinguendum ergo est, inter mutationem Materiæ Essentialiæ & quantitativam. Materia in accretione & alteratione immutatur tantum quoad quantitatem, non autem quoad Essentiam, ut in resurrectione fieri existimant.



Per-

PErpendis causam rectè, ex qua multa
fuere:
Subtilis res est, id bene cedat opus.

*Sic ex animo gratulari voluit
Domino Theodoro Ha-
bersack amico suo di-
lectiss.*

M. Matthæus Vollandi
MF.

Quòd quæras incertus opus, quid opus, rude?
Nusquam
Rem satis informem certus habere potes?
En rude, quòd rudius vix quicquam! Dicitur esse
Mens hominis veluti rasa tabella recens.
Verùm ceu variâ variant elementa, figuræ
Scribentis varias quas ratione capit:
Sic Intellectus, cùi nil virtutis & artis
Primitus inscriptum discere quæq; valet.
Discere quæq; valet, non adversante Minervâ,
Quum sua naturâ quemq; libido trahat.
Hinc aliis alijs studiis agitantur. Honorem
Hic sibi militiae conciliare studet;

Illum

Illum delectant venabula tintæ a cruce;
Istum præcipiti carbasæ rapta Notô.
Maxima pars, heu grande nefas! torpore soluti
Baccho vel Veneri basia crebra ferunt.
Te liber haud Liber; Te non pharetratus Apollo,
Mirè Pieridum præses Apollo juvat:
Te tenet ars non Mars: Non Cypridis ille Cupido
Sic cor quam Sophiæ vera cupido regit.
Propterea scandis cathedram. Sed cur rude sumis
Tractandum? Numquid quod rudi esse velis?
Absit. Ut hoc ipsò magis erudiaris, & inde
In reliquis talo progrediare citô.
Grator, & exopto, DELL ut tua teq; gubernet,
Et post omnigenâ prosperitate beet.
Hæc RESPONDENTI Popularis, Amicus, amicis
PETRUS ZUTHERUS corde manuq; da-
bat.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729617254/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617254/phys_0027)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729617254/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729617254/phys_0028)

DFG

Q. Utrum Materia, propriè sic di
in spiritibus & accidentibus? In Spir-
bus simplicissimis, quærere Mate-
ria est acquirere in pumice aquas, &
Non sunt quanti: non sunt locabiles
bent partem extra partem. Non
Sunt à se. Ergo & à uero. De ir-
res claret: De accidentibus fac-
bimus. Accidentia eruuntur sub si-
militudine, non similitudine sed è similitudine. Quid?
Contingit, eidem & Forma; ex quo
gio & Coalitu corpus confit pure.
Ergone Accidentia corpora eru-
multa corpora (nam multa acci-
dissent corpori) uni corpori iner-
Relinquitur ergo solis corporei
materiam, proprie dictam inesse
ab Accidentibus & Spiritus.

Q. Num omne id quod habeat
habeat quoq; Formam. **A.** Ratio &
tum dependet ex Essentiali, ac pri-
necessariâ Materiæ & Formæ C.
Materia enim & Forma, necessari-
se connexæ, ita ut una, sine alter-
esse v. g. Materia vini seu Aquæ:
esse sine Formâ vini vel Aquæ. E-
teria, ibi etiam necessariò est Fo-

C 3



the scale towards document

Inch mm Patch Reference Chart TE633 Serial No. 444

Image Engineering Scan Reference Chart